

rum comparavit. Nos itaque ipsius precibus piis, devotis ac iustis favorabiliter inclinati, decimam praedictam ad manus nostras libere resignatam praefatae capellae seu vicariae pro aumento dotis ipsius cum pleno iure et utilitate praesentibus appropriamus, donamus et tradimus nostri capituli ad id consensu plenarie accedente, volentes et decernentes eandem decimam ad ius et tuitionem libertatis ecclesiasticae perpetuis temporibus inviolabiliter pertinere. Ut autem praemissa perpetuae firmitatis robur obtineant, praesens scriptum sigillo nostro duximus roborandum.

Nos quoque Albertus praepositus et Lutoldus decanus, Chonradus de Strelis senior canonicus totumque capitulum ecclesiae Misnensis praedictae appropriationem et donationem dictae decimae a reverendo patre et domino nostro Withegone episcopo praedicto factam approbamus et ratificamus ac ipsi consentimus. In quorum evidentiam sigillum nostri capituli huic scripto communito sigillo domini nostri episcopi praedicti ut praemittitur est appensum. Datum Nussin anno domini M° CCC° vicesimo octavo in vigilia ascensionis domini. Testes huius sunt dominus Chonradus de Strelis archidiaconus Nysicensis, dominus Henricus de Gubin praepositus Haynensis, dominus Hermannus de Wolfticz cantor ecclesiae Misnensis, dominus Alb. de Gubyn plebanus de Mogelin, dominus Hermannus praepositus Budsinensis, dominus Thimo de Grunenrode plebanus in Nussin, canonici Misnenses et dominus Nicolaus de Gana perpetuus vicarius ecclesiae Misnensis et alii quam plures fidedigni.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den beschädigten Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 396. 1328. 1. Aug.

*B. Withego II. befiehlt den Geistlichen seiner Diöces einer wörtlich hier mitgetheilten Anordnung des Erzb. Mathias von Mainz die Rechte der Mitglieder des Augustiner-Eremiten-Ordens betr. gebührend nachzukommen.*

Wythego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis praesentia visuris seu auditoris salutem et notitiam subscriptorum. Litteras reverendi domini Matthiae sanctae Maguntinensis sedis archiepiscopi non cancellatas, non viciatas nec in aliqua sui parte suspectas sub vero sigillo et filo serico, per manus nobis religiosorum virorum fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini productas vidimus in haec verba:

Mathias dei gratia sanctae Moguntinensis sedis archiepiscopus, sacri imperii per Almaniam archicancellarius, conservator et iudex privilegiorum, iurium et libertatum fratrum heremitarum ordinis sancti Augustini per provinciam Thuringiae et Saxoniae, universis praepositis, decanis, archipresbyteris et ecclesiarum parochialium rectoribus vel eorum vices gerentibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et mandatis apostolicis humiliter obedire. Veridica relatione ad nostrum pervenit auditum, quod in praeiudicium auctoritatis apostolicae nonnulli ex vobis in parrochiis et ecclesiis suis publice praedicant et denunciant, seu alias pertinaciter asserunt, quod dicti fratres nullam penitus auctoritatem habeant audiendi confessiones fidelium et a peccatis confessis absolvendi eosdem, nisi confitentes suorum curatorum seu sacer-